

Cambridge University Press

978-1-108-04292-5 - Giraldi Cambrensis Opera: Gemma Ecclesiastica: Volume 2

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

---

G I R A L D I C A M B R E N S I S  
G E M M A E C C L E S I A S T I C A .

VOL. II.

A

Cambridge University Press

978-1-108-04292-5 - Giraldi Cambrensis Opera: Gemma Ecclesiastica: Volume 2

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

---

Cambridge University Press

978-1-108-04292-5 - Giraldi Cambrensis Opera: Gemma Ecclesiastica: Volume 2

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

GIRALDI CAMBRENSIS  
GEMMA ECCLESIASTICA.  
PARS I.

---

PROEMIUM ANTE REM, SED NON PRÆTER REM.

DUPLEX est doctrinæ genus, aliud linguæ labiorumque Preface.  
labore cathedraliter emissum auribus se applicat auditorum, aliud mentis manusque nimis certo studio videlicet stilique vicissim et calami officio, litterarum nexibus coagulatum, oculis se subjicit inspectorum. Hoc autem ultimum tanquam utilius et diuturnius mihi doctrinæ genus elegi. Vox enim emittitur et verba pertranseunt, scriptum vero semel editum et approbatum tenaci longevitate transmittitur ad posteros, et notariorum opera successiva renovatione perpetuatur. Cujus quidem effectus ut futuris lectionem præsentibus livorem, illis delectationem istis detractationem, illis beneficium istis odium præstet.

Veruntamen quoniam, ut ait Jeronimus in prima Bibliothecæ pagina, “nescio quid latentis energiæ viva “ vox habet et in aures discipuli de auctoris ore transfusa “ fortius sonat:” Et iterum, introducens ibidem Æschinum de Demosthene sic loquentem: “O si audires “ beluam sua verba sonantem;”—doctrina vocalis efficacæ

Cambridge University Press

978-1-108-04292-5 - Giraldu Cambrensis Opera: Gemma Ecclesiastica: Volume 2

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

“ majoris esse videtur, longeque magis quod labiis  
 “ agitur quam quod litteris ad eruditionem operari.”  
 Sed e diverso quia testante poeta: [Hor. A. P. 180.]

“ Segnius irritant animos demissa per aures  
 “ Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus:”

et quoniam oculata fides firmior atque fidelior esse solet, cum fallaciæ plerumque subiaceat sensus uterque, magis tamen auditus huic defectui videtur obnoxius. Ad istud autem poetæ quod contra illud Jeronimi induci posse videtur, quamquam nostræ sententiæ prima fronte congruat, responderi potest, quod alia hic ratio pactum reformat. Certius nimirum et expressius res quælibet præsens et coram oculis posita visu notatur et discernitur, quam absens et incognita quantalibet possit descriptione præsentari; et hoc poeta sentire volebat. Ad illud autem quod de energia nobis obloqui videtur dicimus, quia re vera quod auribus doctrinaliter ingeritur, suo in transitu efficacius instruit, et vehementius, dum pulsatur et intonat, suos imbuit auditores. Litteralis tamen instructio quia longævior ideoque communior, longe commodior indubitanter et utilior esse dinoscitur. Ad hoc quoque verbum illud veritatis ad Judæos de Moyse loquentis facere videtur; si litteris ejus non creditis verbis meis quomodo creditis? Tanquam fides major litteris authenticis et approbatis, quam verbis etiam divinis, nondum ab æmulis perversisque filiis suo cum pondere debitoque cum honore susceptis ut tunc adhiberi debeat. Ad hæc etiam nonne Adamantius ille magnus ac magniloquus et merito famosus; nonne et noster Jeronimus ejus tanquam imitator in bonis et discipulus; nonne hagiographi nostri cæteri, quanquam ecclesiam Christi modis multum utrisque, longe plus tamen libris quam linguis, litteris quam labiis illustrarunt? Ni patribus nostris ecclesiæque rectoribus tanta studendi cura fuisset, conceptumque corde thesaurum in scripta redac-

Cambridge University Press

978-1-108-04292-5 - Girdaldi Cambrensis Opera: Gemma Ecclesiastica: Volume 2

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

tum posteris præsentandi, in quo ecclesia nunc vel metricè psalleret vel melicè jubilaret, in quo vel scismaticis resisteret vel hereticis aut inimicis etiam crucis Christi responderet? Item nisi auctores linguæque Latinæ moderatores tanta diligentia studiis scriptisque suis orbem universum illustrassent, professionis hodie litteratoriæ tam celebri frequentia vulgi per ora quid volitaret, aut etiam quid haberet quod legeret tereretque viritim publicus usus?

Virilis igitur est animi mentisque bene compositæ, ut quemadmodum<sup>1</sup> a patribus atque prioribus nostris affatim omnes accepimus, sic et nos quoque posteriorum studiis aliquid adjiciamus. Et saltem cum vidua evangelica<sup>2</sup> in gazophylacium Domini duo minuta mitamus; quatinus tam recte vivendo quam recta scribendo nostri memoriam longis in ævum spatiis extendamus; et quod longe satius est longeque sanius atque salubrius de luctu in lucem, de via in patriam, de morte in vitam felici mutatione transeamus.

*Explicit proemium ante rem. Incipit proemium in ipsam rem.*

## PROEMIUM IN GEMMAM ECCLESIASTICAM.

Quoniam contra hostis antiqui jacula defensionis clipeum ecclesiastica nobis sacramenta prætendunt, super his, unde vos circiter hæc magis dubitare et quæstiones frequentius, cum adhuc apud vos essem, mihi deferre consuevistis, necnon et aliis quibusdam quorum vobis notitiam fore novi pernecessariam, præsertim etiam in his quæ inter cætera et utilius sciuntur et pericu-

Preface addressed to the clergy of his archdeaconry, for whose special use this work was written.

<sup>1</sup> At the top of this page are the words "Giraldus Menevensis archidiaconus clericis et officialibus" | "suis," referring, no doubt, to the second preface.  
<sup>2</sup> *evangelica*] eunglica, MS.

losius ignorantur, absens quidem corpore sed spiritu præsens et caritate, diligentiam vestram scripto præsenti instruere dignum duxi et ex officii debito non alienum, quatinus qualem erga vos dilectionis affectum habeam ex hoc perpendere, et quia curam vestri propter locorum distantias non abjecerim, intelligere valeatis.

Non nihil est enim nec laude prorsus indignum vel gratitudine ex magnis voluminibus, ubi digniora et elegantiora præ verborum multitudine non absque difficultate reperiuntur, quæ saniolem redolent sensum atque saluti magis accommodum, in unum colligere, et ex aliorum dispendiis compendiosum aliquid elicere.

Ac si in littore maris inter arenas innumeras preciosas multo quis labore gemmas excerpatur, vel per hortos deambulans spatiosos ab herbis frivolis et infructuosos utiles et virtuosas excipiat, et ab urticis atque ligustris lilia rosasque distinguat.

In duobus igitur hæc doctrina consistit, præceptis scilicet et exemplis. "Longum enim iter est," ut ait Jeronymus, "per præcepta, commodum autem et compendiosum per exempla." De sanctorum itaque legendis patrum, quarum apud vos minor est copia, ex aliis quoque tam antiquis quam et nostri temporis fideliter gestis, quædam vobis non inutilia, exempli causa congesti; et inter ipsa doctrinæ verba locis competentibus exempla subnexui, ut sicut ex illis eruditionem, sic et ex istis legendo consolationem et æmulam vitæ laudabilis imitationem possitis elicere.

Scio tamen quod eruditis auribus delicatisque quibus trita sunt ista lectoribus, vel tædiosus esse videbor in hoc opusculo vel superfluus. Sed sciant illi quod Walliæ nostræ soli scripta sunt ista, publicis admodum et planis absque ornato tam verbis quam sententiis rudibus, solum ad intelligendum exposita. Quod si forte mandati fines excedentia Marchiæ nos-

Cambridge University Press

978-1-108-04292-5 - Giraldi Cambrensis Opera: Gemma Ecclesiastica: Volume 2

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

GEMMA ECCLESIASTICA.

7

træ metas transvolaverunt, et in majorum manus quandoque dilapsa eruditorum oculis se præsumptuose subjecerint, sciant et hoc illi quoniam ipsis malo propinare superflua quam nostris subtrahere necessaria.

In primis igitur quæstiunculas breviter quasi capitulorum notulas præmisimus. Deinde seriatim singula prosecuti sumus.

In duas quoque particulas per titulos non incompetenter et capitula distinctiunculas, ad fastidia tollendum faciliusque quod quæretur inveniendum, opus universum distribuimus.

*Expliciunt Proemia.*

*Incipiunt Capitula Primæ Distinctionis.*

- I. Si aperta negligentia de corpore aut sanguine Domini acciderit.  
 Si stilla aliqua de sanguine ceciderit super corporalia vel super pannum qualemcumque.  
 Si usque ad tabulam altaris benedicti stilla pervenerit.  
 Si super terram aut lignum aut lapidem alium quam altare ceciderit.  
 Si per incuriam sacerdotis mus vel aliud animal sacrificium comederit.  
 Si perditum fuerit, aut pars ejus ceciderit et inventa non fuerit.  
 Si forte evomatur in singulis quid agendum secundum casuum diversitates.
- II. Utrum per laicum infirmis mitti eucharistia vel extrema fieri unctio possit.
- III. Utrum infirmis iteranda sit vel eucharistia vel unctio extrema et quotiens.
- IV. Quis sit effectus extremæ unctionis et quot modis unctio fiat.
- V. Quis sit effectus eucharistiæ et quot modis peccata remittuntur.
- VI. De eucharistiæ dignitate et tractandi seu deferendi honore.
- VII. De ministris altaris et unde dicatur missa et a quo instituta, et qualiter quantaque devotione celebranda sit vel audienda.
- VIII. De sacramento eucharistiæ, forma sacrificandi et misterio triplici.
- IX. De sumendi reverentia, conservandi pariter et tractandi devotione.
- X. De ornamentis altaris aliisque ad obsequia divina necessariis.



- XI. De exemplis fidem astruentibus.
- XII. Quod presbyteri parochianos de forma baptizandi si necessitas ingruerit instruere debent; et quod locutionis vitium non obest, intentione et forma manente.
- XIII. De patrinis, ad quid ex sponsione teneantur et responsione.
- XIV. Quod spiritualis filia sacerdotis est, ad quam nec accedere potest; quæ ei confitetur sua peccata.
- XV. Quod etiam confessionem in necessitate laico accipere licet, et quid confert sacerdotis absolutio et quid prosit confessio.
- XVI. Quod occulta peccata non sunt publicanda nec ea quæ semel confessi sumus iterum confiteri oportet.
- XVII. Quod peccata per veram confessionem deleta etiam ab hostis antiqui memoria deleantur.
- XVIII. De exemplis iterum fidem redolentibus et dæmoniis ipsis Christi præconia personantibus.
- XIX. De exemplis ad hoc ab Evangelio sumptis.
- XX. De exemplis ad idem ab Actibus Apostolorum sumptis.
- XXI. De ministrorum qui missi fuerant ut comprehenderent Jesum testimonio et vultu ejusdem divinitatem ipsius declarante.
- XXII. De Eusebio Verzellensi.
- XXIII. De Germano Antisiodorensi.
- XXIV. De Jacobo, Symone et Juda.
- XXV. De Bartholomeo.
- XXVI. De Basilio Magno.
- XXVII. De Justina et Cypriano.
- XXVIII. De signo crucis crucifixi gloriam dæmones fugando et in coronam apparendo frustra Juliano apostate declarante.
- XXIX. De vase venenifero signo crucis confracto et Judæo signo eodem ab immundis spiritibus liberato.

- XXX. De cruce a Judæis lanceata sanguine manante.
- XXXI. De majestatis imagine Romæ depicta a Judæo jactu lapidis in fronte percussa sanguine manante.
- XXXII. De brachio pueri Jesu in matris gremio sedentis apud castellum Radulphi jactu lapidis fracto sanguine manante.
- XXXIII. De imagine beatæ Virginis filium in gremio sedentem ne asportaretur amplexante.
- XXXIV. De puellæ pudicitia per Virginem beatam et matrem intactam conservata.
- XXXV. De cruce in Anglia volatum faciente.
- XXXVI. De sacerdote qui peccatum publicat confitentis, et illo qui alterius parochianum ad pœnitentiam suscipit.
- XXXVII. De generali confessione, quid prosit et quis sit ejus effectus.
- XXXVIII. De parva pœnitentia minus discrete injuncta.
- XXXIX. De satisfactione morientibus non imponenda sed tantum innotescenda.
- XL. Quod nulli in extremis agenti, quantumlibet antea malo, devote petenti communitio sit deneganda.
- XLI. Quotiens in anno perfectiores et quotiens minus perfecti sacram communionem percipere debeant.
- XLII. Quod laici in presbyterio ad divina audienda non sunt admittendi.
- XLIII. Quod saltationibus et cantilenis in ecclesiis et cimiteriis populi vacare non debent.
- XLIV. Quod sine aqua vinum in Christi sanguinem non conficiendum.
- XLV. De aranea vel musca vel alio immundo, si forte in calicem hora consecrationis inciderit, quid faciendum.
- XLVI. Si sicera vel alius liquor in sacramento pro vino ponatur, quid fiat vel fieri debeat.
- XLVII. Quod aqua recincerationis calici infusa a sacerdote iterum eodem die celebraturo non sumatur.